



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1784**

**VD18 13322648**

§. 4. Regis indignatio contra hosce Parochos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

temerarii ausus impunitate animati epistolam haud absimilem die septima Junii ad Noaillium transmiserunt.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1727.

§. IV.

*Regis indignatio contra hosce  
Parochos.*

Quamprimum hoc Parochorum scriptum Parisiis pervulgabatur, Fleurius Cardinalis, ut spurius hic partus in cunis suffocaretur, omne studium impendit, probe prospiciens, Appellantium pervicacia per seditiosos ejusmodi libellos roborata Regni tranquillitatem indies magis magisque turbari, ipsamque Religionem, & sacræ Sedis auctoritatem in apertum discrimen adduci: Eapropter Cardinalis primo questum ibat ad Noaillium Ducem, a quo tamen interpellatus Noaillius Cardinalis respondit, se haud diffiteri, quod Parochi has literas unacum eorum scripto ei tradidissent, se vero, cum haud ignarus esset, de quo ageretur, eos ad alloquium non admisisse, imo illud nequidem legisse, sed misisse Abbatem Dorsonum Vicarium suum Generalem, qui hoc scriptum ab eis recepisset. Accepto hoc responso Fleurius ipsemet Noaillium accessit; a quo etiam Parochorum epistolam scriptam

&



Sæc. XVIII. & nondum signatam recepit, moxque  
A. C. 1727. eam in ignem projecit: Ut vero malis,  
 quæ inde enasci possent, obviaretur,  
 supremum Parlamenti Præsidem con-  
 venit, postulans, ut impressum hoc  
 scriptum Regio edicto supprimeretur:  
 Verum hic, nescio quas difficultates  
 opposuit, ac præ ceteris timendum  
 esse obtendit, ne ex illis nonnulli, qui  
 hoc scriptum suo chirographo firma-  
 runt, auctoritate & potentia præva-  
 lentes ad Parlamentum contra ejus-  
 modi edictum recurrerent, illudque &  
 eorum apologiam suo foveret patroci-  
 nio, proin mala ipso hoc scripto gra-  
 viora inde occiderentur: Fleurius, quo  
 hæc respicerent, haud ignarus Paro-  
 chis S. Severini, S. Margaritæ & S. Ger-  
 vasi aliisque ad se accersitis proter-  
 viam acriter exprobravit, hocque il-  
 lorum scriptum Regii Senatus decreto  
 die decima quarta Junii condemnavit,  
 necnon rei Criminalis Præsfecto facul-  
 tatem dedit, in eos severe animad-  
 vertendi, qui præfatum scriptum vel  
 confecerunt, vel divulgari curarunt.  
 Inde tamen Parochi ad resipiscendum  
 adeo non movebantur, ut potius aucta  
 eorum audacia contra hoc edictum  
 expositis rationibus reclamarent, hanc-  
 que in rem libellum supplicem Regi  
 porrigendum Fleurio Cardinali per Ab-  
 batem



batem Lustracum die quinta Septem-  
 bris consignarent. Hoc scriptum Fleu-  
 rius quidem haud cunctanter recepit,  
 Cancellarius vero illud oppositis ratio-  
 nibus confutavit, ac mense Septembri  
 per publicum edictum proscripsit. Præ-  
 terea Rex solemnè edicto Parisiensi  
 Universitati injunxit, ut rupta omni  
 mora suas appellationes revocaret, &  
 Medicinæ Facultatis Decanus mox con-  
 signaret Indicem eorum, qui ex eadem  
 facultate ad Generale Concilium ap-  
 pellassent.

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1727.

§. V.

*Graves motus ob quamdam Bene-  
 dicti XIII. Bullam exorti.*

Interim Benedictus XIII. Pontifex Be-  
 neventum proficisci statuit, ut Ec-  
 clesiam sibi prædilectam, quam qua-  
 draginta duobus annis Archiepiscopus  
 rexerat, & illius curam sibi adhuc re-  
 servaverat, Pastoralibus officiis, &  
 eximiis largitionibus pro viribus juva-  
 ret: Obstiterant tamen huic profectio-  
 ni ex Cardinalibus non pauci, qui haud  
 temere verebantur, ne, si Pontifex  
 gravi senio pressus, assiduisque morbis  
 pene exhaustus Beneventi, vel etiam  
 in itinere decederet, acris controversia  
 excitaretur circa locum, ubi sacra Car-  
 dina-

Guarnac.  
 vita Be-  
 ned. XIII.  
 pag. 416.